



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 41. de aspectus organo, ad tex. com. 98.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

actu perspicuum, vt per ipsum omnia videri queat. Nam vt est inter omnia elementa nobilissimum, ita solum inter omnia lucidum; maximèq. ad eccelsis corporis naturâ accedit; tum loco & situ; tum vèro maximè luce, quæ propria superioris illius corporis qualitas est & inter materiales diuissimâ. Immodè ea quoq. ignea sunt, propter ignis participationem quoquo modo alia item illuminât. Cicendula enim in manu posita aut alter colorato corpori admota colorem ostendit illius partis, cui admota est.

Sed postrema illa verba, quibus ignem in tenebris quoque cerni posse probat (quoniam perspicuum ab eo fit actu perspicuum) non ita intelligenda sunt, vt idcirco videatur, quod in tenebris aerem totum vsque ad aspectum illuminet, nec alioqui videri possit. Sæpè namque experimur, id quod Philoponus & Simplicius asserunt, nos in obscuro nocte videre ignem procul distitum; etiam si solius candela aut exigui alterius corporis lumen sit. Quod propinquum quidem sibi aerem illuminet; credendum tamen non sit tantam aeris vastitatem vsque ad nos illuminari. Verum ita accipi debent, vt argumentationem contineant à minori ad maius. Quod verba illa (& hoc ex necessitate) significare videntur. Nam si ignis illuminando perspicuum potest reliqua quoque aspectabilia facere, multò magis potest & se ipsum prodere & in tenebris perspicuum facere.

Sed tamen, vt Simplicius significat, siue die, siue nocte videatur; semper in lumine aliquo videtur: aut inquam in lumine alieno, vt in die; aut in eo, quod ab ipso met in circumiectum aerem effusum sit. In tenebris tamen quoque, videri dicitur, si noctu procul videatur. Quoniam etsi propinquus illi aer ab ipso illuminatus sit, à nobis tamen illud lumen non videtur, totûsque reliquus aer ad nos vtque tenebrosus est & obscurus. Quamobrem etsi ignea quoque omnia, vt cicendula, aliquem circa se fulgorem ac lumen emittant; ea tamen in tex. 72. in tenebris solum, non in lumine, cerni affirmavit: quoniam totum reliquum medium vsque ad oculum est tenebrosus, neque exiguum illud illuminatum semper est aspectabile.

DIGRESSIO. XLII.

De aspectu organo, aspiciendique modo.

Hæc de aspectu Philosophus. Nobis verò antequam ad cæteros transeamus sensus, duo diligenter consideranda sunt. Alterum de huius operationis organo. Alterum de operationis modo. Videndi organum consistit esse oculum. Eius descriptionem in communi totius corporis descriptione fecimus, vbi & de oculi natura disputatum est. Ad hunc locum illud pertinet, vt intelligamus, quenam ipsius potissimum pars præcipuum sit videndi organum. Credit Alexander, vt intelligi potest ex primo eius lib. de anima cap. 8. & Comm. 9. in lib. de sensu & sensibili, & Themistius lib. 3. de anima cap. 8. oculo quidem aspectabile obiectum præponi, visionem tamen in organo fieri sensus communis, hoc est in corde: & ideo totum ductum ab oculo vsq. ad cor debere esse illuminatum, vt fieri visio possit. Adfert autem Alexander Aristotelis verba in ca. 2. illius lib. Non enim, inquit, in vltimo oculi anima, aut animæ

sensorium est; sed manifestum, quod interius. Quare necessario perspicuum est & receptiuum luminis quod intellus oculi. Et hoc etiam in ijs, quæ accidunt, manifestum. Iam enim quibusdam vulneratis in bello iuxta tempora, ita vt abscissi essent meatus oculi, accidit fieri tenebras; sicut lucerna extincta. Et in ca. 8. quemadmodum in rebus ipsis contingit ita & in anima. Idem enim & vnū numero album & dulce est & alia multa: sed esse alterū vniciq. Similiter ergo ponendum & in anima, idem & vnū esse numero sensiuum omnium, ipsum esse tamen alterum & alterum. Quibus verbis videtur cor constituere commune sensiuum omnium sensorium, quod præcipuum anime sedem esse voluit. Probat etiam suam sententiam Alexander; quoniam si visio, auditio, gustatio, sunt in diuersis corporis partibus; non poterit esse vna aliqua facultas anime, quæ sensus hosce corrigat: quoniam ab ea distabit plurimum. Cùm etiam hæc organa sint duplicata, obiectum quodlibet sentiretur duplex: quod si sentiat vniciq. necesse est vnico sentiri organo: hocque est in corde.

Philoponus autem de visione præferri loquens, eam fieri voluit in optico neruo, qua parte pupilla inferitur. Sic enim loquitur in tex. 69. Visiuum spiritum à cerebro descendere dicimus per visuos neruos, eumq. ad crystallinum vsq. pertinere, & in ipso definire: quare & illic sunt visibili iudicia. Et rursum, visibilium apprehensio in ea solum fit parte, in qua pupilla consistit. Quod duplici argumento ostendit. Tum quia si hæc vitio aliquo laborauerit, impeditur visio; etiam si reliquæ omnes partes bene habuerint: & contra, si reliquæ laborauerint & hæc bene habuerit, videmus optime; quasi per eam solum fiat visio. Tum quia ad eam propterea perforata est vena, ne suo colore impediret visionem, prohibendo lumen, quo pupilla perspicuum fit actu. Eandem sententiam exposuit in Comm. tex. 82.

Sed in Comm. tex. 106. 107. organum proprie voluit esse spiritum, eo scilicet loco contentum; humorisque & tunicae esse medium.

Auicenna autem in 6. naturalium parte 3. cap. 8. 4. & Albertus hoc loco, & S. Thomas in lib. de sensibili, aliq. permulti, ad eam partem opticorum neruorum, in qua coniunguntur, reuocant visionem. Quæ sententia probabilis videri possit, si per species visio perficiatur. Ijs enim positis, propterea quodlibet obiectum, etsi duobus oculis videatur, vniciq. esse videbit; quod duæ species ad commune duorum neruorum foramen conueniant: Accedit, quod in ea coniunctione fortior est & magis vnita visiva virtus.

Vnum est inter cætera, quod mihi suspectam hæc sententiam facit; quod non videam, quomodo hæc species possint vsque ad illud foramen multiplicari (quod mihi sanè argumento est, species hæc in interioribus sensibus nullas esse, quamuis in exterioribus admitterentur). Nam cùm nequeant nisi in lumine multiplicari, opticus neruus (multò minus interiores meatus reliqui) non est illuminatus. Nam etsi foramen habeat, illud tamen est per exiguum; & cùm sit natura terreus & opacus, suscipere lumen non potest, quo species multiplicentur.

Visionem igitur fieri in pupilla puto. Non in aëre tunica, vt quibusdam placuit, hoc argumento, quod in ea non solum recipi, sed & reflecti species possunt, & ideo melius videri. Verum in humore crystallino. Quæ sententia non solum Galeni fuit in lib. de Hypp. & Plato. de cr. & alijs in locis, Auerr.

in lib. de sensu & sensibili & in 2. colliger. c. 17. & aliorum; sed Aristotelis quoque pluribus in locis, in quibus tunc oculum videndi organum integrum, tum pupillam precipuam eius partem proposuit. In textu nono, oculum accepit ut materiam, & videndi facultatem ut formam & animam; quae nisi adsit, hominimè dicatur oculus. Et in textu 131. ut animalia perfecta ostendat omnes habere sensus; talpam quoque inquit sub pelle habere oculos. Et in lib. 1. de animalium historia cap. 17. sensoriam visus partem oculos vocat, & secundo de animalium ortu capite quarto, de illorum generatione in hanc sententiam plurima disputat, quae iucundum erit perlegere.

In oculo autem pupillam esse precipuam partem, qua videmus; confirmavit in textu 10. huius libri, dum oculum ad videndum preparatum constare dixit pupillam & visu tanquam organo videndique facultate. Et in textu 82. ubi aërem auditus organum affirmavit animatum esse ut pupillam humidum. Et in textu 83. Animal non audire si laboret membrana, quae aërem continet; quemadmodum non videtur, si laboret pellis, quae pupillam ostenditur. Et in textu 130. Elementa sensuum organum distribuens, pupillam velut aspectus organum scripsit esse aquam. Et in textu 31. lib. 3. pupillam ut videndi precipuum organum ab aëre hieriactu. Et in 1. lib. de animalium historia cap. 9. vniuersam oculi structuram exponens: Humor, inquit, oculi interior, quo videmus, pupilla est. Et in 2. lib. de partibus cap. 8. sensorium tactus caro est, aut prima ut pupilla visus: aut coniuncta, per quam agitur, perinde ac pupillae perspicuum omne. Quorum enim per opticos nervos ad oculum oculique pupillam deducatur spiritus ac pupillae infingantur nervi, nisi ibi futura sit visio? Sanè nos conatum adhibemus in oculo, ut videamus, videtis oculus fatigatur, & precipua oculi pars est pupilla. Cùmque visiois organum humidum & aequum esse oporteat, necesse est aliquis sit ex humoribus, quorum nobilissimus est crystallinus. Et ideo in medio oculi tanquam in centro & optimo loco positus, atque ad reliquos omnibus omnino ex parte septus & custoditus. Accedit, quod videndi organum perspicuum esse debet, eiusmodi autem est crystallinus humor. Aranea tunica nil aliud est, quam villorum ac fibrarum textura ad continendum humorem illum apposta, propter quem reliqua etiam omnia fuere formata.

Quod autem dixerunt aliqui, visionem in corde fieri, minime credendum est. Nam ut illius membri spiritum mittam propter immoderatum calorem ad sentiendum esse ineptum: propterea solum ad cor visio reuocari potest, quod illud sit sentientis totius facultatis, immò facultatum omnium, principium. At verba, quae ex lib. de sensu & sensibili obijciuntur, ita sunt exponenda. Pupilla non est in oculi extremitate, sed pluribus tegitur tunicis. Propterea proprium videndi organum interius aliquid est, magisque reconditum. Quod pupillam esse consequentia verba confirmant. Quare necessario perspicuum est & receptivum luminis quod interius oculi. Quod si ea, quae adduntur, videndi vim in optis nervis videntur ponere: ea ideo dicta sunt, quoniam per eos deuehitur spiritus videndo necessarius. Itaque levis illis ac truncatis non fit visio, sed tenebrae: non pupillae visio, quippe in ea, ut antea, suscipitur lumen; sed quod sine spiritu non fit visio. Quae autem ex cap. vlt. proponuntur, ostendunt vni principium, quo sentimus, non formaliter, sed virtute; hoc est

Exponit
locus ex
lib. de
sensu &
sensibili.

cor esse vnum primum membrum, à quo sententia vis omnis deriuatur ad reliqua membra, quibus mediatur & formaliter sentimus.

Neque ratio, quae in eam sententiam Alexander adduxit, vllum habet momentum. Tum quia communem sensum accipit esse in corde, à quo reliqua particularium sensuum organa magnopere distant, quod si ponatur in cerebro, non magna erit distantia. Tum quia siue in exterioribus organis sententia, siue non fiat; nihilominus oportet à corde ad interiores illas partes transmitti spiritum: at si spiritum potest transmitti, poterit & actiones illarum corrigere. Denique quod dicitur obiectum non apparere duplex propter eandem rationem, propter quam etiam quae audiuntur aut olfacta percipiuntur, duplicia esse non iudicantur, etiam ubi organa sunt duplicata; neque in vni, sicut optici nervi, coarctati sunt. Nimirum etiam sententiae ipsae sunt duplicatae, nec est duo actus producti ab anima per duo organa, tamen vna obiectiue; quia videndum aut sententiam proponitur vnum, circa quod naturali societate, vbi simul oculi mouentur. Cur autem eorum organa nervi, plures exponuntur causas: inter quas ea est, ut vnius oculi virtus & visus spiritus deueniat ad alterum, alter quoque eorum clauso possit altere quae bene cernere; aut si alter oculi aut nervus laederetur, non impediret tamen visio aut imperfectior fieret.

Iam ex his intelligitur, videntiam aspectus vniuersae bonitatis; quae in eo agnoscutur, ut procul & distantia aspectabilium omnes differentiae percipiuntur. Oritur enim ex organi & spiritus conditione. Nihil minus sit humor & purus, procul & exacte cernitur, si paucus sed purus, exacte quidem, sed non procul aspiciatur: si multus & impurus, procul, sed minus exacte si denique paucus & impurus, nec procul nec exacte videt. De spiritu idem ferè intelligas. Oritur etiam oculi quantitate & situ in capite. Etenim oculus rarus melius, quam prominens aspicit distantia, coloratur. Tum quia minus patitur & disgregatur à lumine. Tum quia nimia lux in oculo suscipitur, tunc lucis aspectum impedit: quoque minor in oculo fuerit, facilius is exteriorem aliam quamcumque percipiet. Minor autem suscipitur in oculo concavo, ut melius cernatur, oculum manu adhibeamus, aut etiam ferè claudimus palpebras: non solum ut videndi virtus vniatur, obiectiue motus magis vniatur, verum etiam ne nimia lux impediatur & disgregetur.

Potro in oculi quantitate sunt qui magis vniatur oculum paruum: tum quia spiritum habet magis vniatur & motum magis item vniatur suscipit: tum quia magis profundus est, quam magnus. Sed potior magis est: tum quia in paruo spiritus vicissim sese impediunt: tum quia magis cerebrum melius est & perfectius paruo, oculumque à cerebro deriuatur & simile habet naturam. Tum quia magnus oculus multam materiam & probe permixtam & temperatam robustamque virtutem formatricem indicat. Quam ob causam oculus magnus & bene videt putatur esse durumque visum signum. Indicat enim multum humorem probe mixtum ac temperatum: Et quoniam haec pars recondita ferè corporis temperationem sequitur, argumentum est bonae totius corporis temperationis & corporis humidi, quo possit diutius vita sustentari. Proximus est oculus parvus & bene videt. Quia si non multum, certe bonum humidum in toto corpore significat. Tum magnus & male videt. Etenim multum quidem humidum, sed male temperatum ostendit. Pellim parvus & male videt. Quia paucam & malam habet humiditatem.

Colorem

Colorem medium maximè probat. Philosophus in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. quod optimam significet temperationem. Extremi defectum aliquem habent aut excessum: & vel facilius, quam par esset, vel cum nimia difficultate, pariuntur ab obiectis: propterea non tam bene vident. Et oculus niger melius interdiu videt, quam glaucus hic enim melius noctu. Nam ille multum & confertum habet humorem, qui non nisi à magna luce mouetur: hic exiguum, qui modica indiget luce, atque à multa dissipatur. Ille tamen facilius fit luscus, quia cum abundet humor, si amplius excesserit, facit luscum. In glauco excessus hic esse nequit: Sed is siccatate potius laborabit, exiguo scilicet illo humore siccat. Hinc etiam cognoscitur, cur senes propinqua quaedam obiecta non cernant, quæ remotiora melius vident. Nimirum eorum oculus est siccat, quemadmodum & totum corpus; paucumque habet spiritum. Quare ab obiecto propinquo nimirum patitur & spiritus dissipatur; à remotiore accommodatè magis mouetur. Hæc & huiusmodi plurima ex oculi constitutione ac præsertim ex pupilla pendunt; omninoque confirmant, eam esse præcipuam oculi partem & potissimum videndi organum.

DIGRESSIO XLII.
De aspicendi modo.

Idem est de aspectus organo: superest & de operatione dicere. Plotinus in lib. de dubijs animæ vel diuisione cap. 4. tres opiniones tangit. Primam, ita per radios visuales, vt per capillos aut manus, propagare animam sese atque sensilia tangere. Alteram, non propagari animam per radios, sed eos quasi virgas extendere ad obiecta eorū, inde ad animam reuerterari & tenuitiare obiecta. Tertiam, lumen ab obiecto figurari, figuratumque ad oculos peruenire. Circa primam ludit, inquit Pictorius; alteram deridet, tertiam reprobatur. Tantamque vult esse inter aspectum & obiectum compatiendi conformitatem, vt satis vicissim moueantur & agant, etsi nulla in medio contingat passio. Sane ex Antiquis permulti visionem fieri crediderant emittendo, egressūque reualicium ab oculo. Pythagorici namque egredi voluerunt luminosos radios, qui si obiectum sibi simile, hoc est illuminatum, inuenierint, regrediantur ad illud oculo representandum. Hypparchus, Stoici, & Empedocles, emitti corpus aliquod luminosum, seu radios, qui obiectum totum complecterentur: & siquidem obiectum esset illuminatum, oculo illud representarent; si minus, illuminarent tenebras eaque illuminatas videri. Porro hanc emissionem & completionem sunt perspectiui, & hæc ratione explicarunt, vt radios dixerint ab oculo progredi inftar pyramidis; cuius conus sit in oculo & basis in obiecto; tantamque esse basim, quantum est obiectum quod debet cerni. In eius autem medio lineam rectam existere, quam appellant sagittam; per quam immediate fiat visio. Sed quæ remotius obiectum fuerit eò fieri minorem conum in oculo; quoniam lineæ longiores sunt & in maiori distantia à basi concurrunt; & ideo remotum obiectum videri minus, quam propinquum. Alij aeris impulsu ab oculo in conum figuram vsq; ab obiectum constare visionem voluerunt. Plato autem in Timæo & Platonicus, quos Galenus sequutus est in 7. lib. de Hippocratis & Platonis decretis capite quinta, visionem fieri tradi-

derunt emissionem lucis seu luminosorum radiorum ab oculo, qui cum diurno lumine concurrentes atque permixti, quò oculorum acies diriguntur, ibi visionem faciunt. Nocte autem non vident; quia abeunte diurno lumine, id quod ab oculo egreditur, euanescit. Quæ Platonis oratio oculum accipit esse igneum atq; internū continere lumen ac splendorem, quem possit emittere.

Verum aduersus hæc omnia tum Aristoteles disputauit in lib. de sensu & sensibili. c. 3. tum Alexander in com illius lib. & in 2. de anima c. 32. & seq. & Philoponus in digres. tex. 69. quæ omnia & diligenter collegit & auxit Theophilus Zimara in com. tex. 69. Ego igitur sic statuo. Ex oculis certum est emitti aliquid; vt oculi testantur menstruatæ mulieris inficientes speculum: & basilisci necantes hominem: & falcinantium, & similia aliorū. Verum per hoc, quod emittitur, non fit visio. Quod si Aristoteles in probl. 15. & 16. sect. 3. ab oculis dicat emitti radios, aliquando vitiosos, nonnunquam dispersos: & in 3. Meteororum lib. ca. 2. fieri accipiat refractionem ab oculo, & c. 4. cuiusdam meminerit, qui tam debilem habebat aspectum, vt illius radij reflecterentur semper in aere, & ideo imaginem suam vbiq; in aere cerneret: ex aliorum sententia loquitur, siue Platoniorum, siue perspectiuorum: meminisseque nos oportet quidam ab illo scriptum sit sub finem c. 1. lib. 5. de animalium ortu. Nihil enim, inquit, interest, an visus exitu cerni dicatur, vt quidam aiunt, & que sequitur. Similem enim addit motui effici visionem necesse est. Quare cum eodem modo videret ea, quæ ad visionem spectant, explicari posse, siue ab oculo exeat quidpiam ad obiectū, siue ab obiecto ad oculum, nihil mirū, si ex aliorū cōmuni sententia interdū accepit egredi aliquid ab oculo ad obiectum. Nam & perspectiui, cum eodē modo rē explicari posse animaduertent, quippe idē anguli & in oculo & in obiecto fieri possunt, maluerunt antiquorum loquendi modū retinere, visionem emittendo fieri affirmantes.

Aristoteles vero vbi hæc difficultatē in lib. de sensu & sensibili accuratè magis examinavit, suscipiendo potius aliquid ab obiecto, quam ad illud emittendo, visionem fieri affirmavit. Senlerat quoq; Democritus ita visionem perfici: sed in oculo suscipi voluerat corpuscula ab obiecto emissa, eū ipsius simulacra. Verū ab Aristotele & Alexandro necessariis rationibus confutatur. Tum quia conspiceretur obiectū & augetur oculus, fieretq; singulis momentis multo maior, cū plurima semper obiecta cernat, à quibus hauriret corpuscula. Tum quia res viderentur esse minima, si per ea corpuscula conspicerentur. Tum quia corpuscula illa facile à vento transportarentur, quolibetq; vel minimo vento stante nihil cerneretur. Ita constituerunt Peripaterici in oculo suscipi solū lumē, aut speciē intentionalē ab obiecto emissam, aut motū potius obiecti visionisq; actum eū speciē & formā obiecti cogniti. Nā cū reliquas sensationes constat non emittendo, sed suscipiendo fieri, quidni de visione idē sentiamus: Etenim sentire pati quoddam est, immanentemq; actionē significat, quam fieri constat in oculo, atque in ea parte, in qua videndi facultas residet. In ea igitur coniungi oportet obiectū cū facultate, estq; verisimilius, obiectū ad facultatem accedere, quam hanc ad obiectum egredi. Crystallinus autē humor propterea videtur in exteriori superficie figuram habere planam, vt quidquid forinsecus accedit, promptè suscipiat: quod in extremo l. 10. de visu partū fatetur Galenus.

Visionē
suscipiēdo
fit.